

6 XII, 23 Q.R. XII, 23.

I. N. J.

T  
II n  
1647

# OTTONEMMA- GNUM IMPERA- TOREM AUGUSTUM

*Ex Benevolo Nobilissimi Philosophorum  
Ordinis industu  
PRÆSES*

M. C A S P A R Sommer /

VVratisl.

JOHANNES & Rosenberg /  
Crosnensis.

RESPONDENS  
Silesii.

Placido Eruditorum submittunt Examini  
*in alma Leucorea.*

d. XII. Maji hor. antem. in Auditorio Veteri.

WITTE BERGÆ,  
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. D. C. LXXVII.

ULB Halle  
002 100 886

3



JOHN MUIR  
MUSEUM





I.

Tto Henrici Aucupis (*a*) filius ex Mag-  
ni VVittekindi (*b*) stemmate profa-  
tus est, qvi unus ex Teutonicis Cæsa-  
ribus, post Carolum Francum, ob rerum gesta-  
rum gloriam, Magni cognomen adeptus est. (*c*)

(*a*) Henricus Auceps ille est, qvi post Conradi Franconi-  
ci mortem, Francis atqve Saxonibus jura dedit, & collapsas non  
modo Germaniæ res restauravit, verum etiam plurimarum re-  
gionum ad jectione insigniter auxit, & adversus Slavorum irru-  
ptiones limites probè munivit. Hunc Imperatoribus annume-  
rantibus, id qvod vulgò fieri solet, qvidam, iiqve non incelestres  
Viri movent litem, qvos & Henrici móvet moderatio, qvi, cum  
nil deesset ad obtinendum Imperatorium decus, fortuna sua con-  
tentus, in Regis nomine acqvieverit; & Italicorum usurpatio, qvi  
cum Italiz Regno Augustum qvoqve nomen sibi rapuerunt.  
Præter Onuph. Panvin, de Comit. Imperii c. 5. atqve Bellarm.  
I. II. de translat. Imper. ex nostris Hermannus Conring. Vir in  
Germanica Historia sua laude major patrocinatur huic senten-  
tiæ de Imp. Germ. Rom. c. 9. Evidem id asserere ausim, non  
ideo nomen Cæsaris negandum esse Henrico, qvod à Papa coro-  
natus non fuerit, cum solemnis illa, ut vocatur, inauguratio,  
nihil faciat ad dignitatis Cæsareæ collationem, verum non nisi  
proclamatio sit & publicatio ejus, cui Imperium summum com-  
missum est. Id qvod fatentur omnes juris Publ. Doctores, ad  
qvos hæc doctrina qvoqve pertinet, vid. Dominicus Arumæus  
ad Aur. B. discurs. 2. n. 20. Limn. ad A. B. c. 26. §. 4. obs. 9. Rein-  
A z king

king de regim. Sæcul. Imp. Rom. I. i. cl. 3. c. 8. n. 8. Carpzov. ad Leg. Reg. c. 2. Sect. 9. n. 14. Ipseque Conring. de Germ. Imp. Rom. c. 13. Et quamvis illorum temporum supersticio, cui & Magni Principes obnoxii fuerunt, ut abstinerent titulo, adegerit Principes quosdam, à Pontifice maximo non coronatos, illud tamen juri, quod vel successione, vel Electione sibi acquisiverunt, nihil quicquam præjudicat. Arduum autem majus dubium illud est, quod non modo Italiæ seu Lombardiæ regnum, verum & Imp. Rom. quæ distincta, esse de Imp. Rom. Germ. c. 9. Conringius docet, Italici sibi rapuerint, nisi dicas injustam fuisse illam usurpationem, & tyrannos vocari à Scriptoribus, invasores illos, adeoque nil decessisse Germaniæ Juribus, quæ in Rom. Imp. per Carol. M. parta fuerint. Nobis hic ultra iis immorari non est integrum. Oldenburger tamen in thes. Rerump. part. 4. p. 303. scribere non veretur Henricum Aucupem à Pontifice ad Imperatorum titulum accipiendum, invitatum fuisse. Sed Abbas Stadensis ad A. 920. dixisse refert Henricum; sufficere sibi quod regio nomine appelletur. Sigebertus ad A. 937. hæc habet: *Henricus licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus fuit, nullam operam dederat, ut effugatis ab Italia Tyrannis, qui quasi conductitii mercenarii alter alteri succedentes, Imperium dilaniabant, benedictionem Imperiale accepisset.* Wittekindus tamen Annal. I. Luithprandus I. 4. c. 7, Otto Frisingensis I. 6. Chron. c. 18. & ex iis Peucerus I. 4. Chron. tradunt, postremo tempore Romana statuisse proficiisci, sed morbo impeditum non valuisse.

(b) Aut. Not. rer. Imp. Rom. Germ. part. I. d. 20. p. 369. dicam nobis scribit, arguitque nos contra omnem veritatem Henrici Aucupis genus à Wittekindo deducere, secutos Historiæ Saxonicae Scriptores accuratissimos diligentissimosque. vid. cum Georg. Fabricio, Petro Albino, Casp. Peucer. I. 4. Chron. qui in monumentis Historiæ Saxonicae longè est versatissimus. Remitto inquisituros in veritatem ad Dn. Schurzfl. diss. de Wittekindo M. §. 6. cui addatur Joh. Jacob. Spenerus in Syllog. Gen. Hist. p. m. 307.

(c) Qvo de præter innumeros alios vid. Helmoldus I. I. c. 6.

II.Pa-

Patris enim in Imperio Successor (a) omni openitus est, ut tam belli, quam pacis artibus, quibus pollebat Otto, (b) muniret Germaniam, quam præter seditiones & civilia, (c) etiam externa turbabant bella.

(a) Imperium hic intelligo Germanicum, Saxoniæ imprimis atque Franconiaæ, cuius semper Rex audiit Henricus Auct. quamquam & in jura, quæ Germanis in Italiam Romanumq; Imper. per Carolum M. parta supererant, successisse Otto dicendus sit. Illud autem ingens momentum est, quo successionem probamus, quæ in Germaniæ regno tum sub Saxonibus, haud secus ac antea sub Carolingis viguit. Et quamvis Christ. Lehmannus vir alioquin in Historia Germanica longe peritissimus, Electionis vindex acerrimus, nobis aduersetur, atque profusa adstruenda opinione multorum coacevet testimonia Scriptorum, & in iis Wittekindum, quibus probè se munitum credit, & assertum suum ex vocabulo eligendi obtinere sperat: non tamen à nostrâ nos dimovet sententia qui frustra Eligendi vocis urget, significationē. Qvis enim nescius est ap. Historicos eos etiam Principes electos dici, qui succedendi tamen gaudent jure, in iis præsertim regnis, ubi successio electione mixta quodammodo & quasi temperata est, ubi Electio non est prima potestatis collatio, sed proclamatio potius publica. Exemplo nobis sunt utriusq; regni Bohemici & Ungarici Reges, qui non modo in historico-rum, sed & publicorum actorum monumentis electi leguntur, cum tamen nonnisi hæreditate adepti sint à majoribus relictæ sceptræ. Non ergò moramur, quæ vel quondam ex suis tabulis Bohemi, nec Ungari ex Articulis Regni An. 1668. editis pro Electione allegant, successionem hæreditariam non afferentia. Vid. Melch. Goldast. l. 6. de regn. Bohem. cap. 20. & Beati Widmanni Ferdinandi I. Consiliarii Information darinnen aufge-

führt wird / was das Haß Österreich vor Erb - Gerechtigkeit  
zum Königreich Ungarn gehabt / auch durch Kaiser Ferdinandum  
erheyrathet worden / ap. Goldast. in Beyslagen p. 1. Nobis ex pro-  
fesso hac de re non agendum , sed pro Germanicorum Regum-  
tum temporis successione hæreditaria pugnamus , Ottonum mu-  
niti exemplo , qui sanè non soli populi suffragio , sed veluti hære-  
ditatem Germaniam sunt nacti . Id autem monendū est successi-  
se Ottonem in Germaniæ regno , Italiam verò & Rom. Imperium  
victoricibus armis sibi vindicasse , adeòq; probe Germania à regno  
Italiæ & Rom. Imp. secernendum est , in quantum scil. illa respi-  
ciamus tempora , ne Germania urbi Romæ subjecta credatur ,  
cum potius Roma ejusq; Imper. armis Ottonis devictum Germa-  
nis subditum factum sit . Vid. Conring. de Germ. Imp. Roman.  
c. 12. Lim. Obs. 7. ad A. B. proem.

( b ) Rarissimè utriusque virtutis togatæ pariter atq; bel-  
licæ concentus & concordia in uno reperiuntur , qvod & Plin.  
Junior Trajani virtutum excellentissimus laudator in Panegyrico  
testatur : *Enituit, inqviens, aliquis in bello, sed obsolevit in pace?*  
*alium toga, sed non arma honestarunt.* Utroq; verò inclaruisse  
Ottonem in propatulo est . Præter bella enim , qvæ in sequenti-  
bus recensebuntur , instituta collegia , exornata atq; dotata re-  
ditibus amplissimis , id comprobant , de qvibus Sigebertus &  
Frisingensis referunt , qvæ tunc temporis Scholæ & Officinæ pie-  
tatis atq; bonarum artium fuere , in qvibus educati fuerunt viti  
Ecclesiæ atq; Reipubl. salutares . Huc pertinet , qvod testante  
Cuspiniano , ludos equestres , qvos Torneamenta vocant , privile-  
giis & libertatibus confirmaverit Otto , qvo nobilis juventus , in  
spem sæculi nata , mature bellicis imbueretur artibus , exercere-  
turq; in armorum studio .

( c ) Nemini moveat scrupulum , qvod seditiones & bella  
civilia conjungamus & quasi confundere videamur , qvos tamen  
Georg. Schonborn. I. 7. Polit. cap. 13. & 15. tanquam distincta  
proponit . Seditionem enim cum Lipsio I. Pol. 4. esse docet  
multitudinis in Principem aut magistratum subitum & violen-  
tum motum : bellum autem civile , truculentiorem concitatio-  
nem nominat , in principem aut inter se , exempliq; loco addit .

si



si in orbe Romano Princeps contra Principem, vel civitas contra Principem, aut aliam civitatem imperiale insurgat: id autem propriè non vocari bellum dicit, sed civilēm dissensionem. Enimvero secuti hic sumus Autores in verbis faciles, qvibus usq; adeò non attenditur differentia, imprimis cum ut plurimum seditiones in bella civilia degenerent. Jam autem, ut ad præfens institutum veniamus, Otto M. gravissimis tumultibus atq; motibus exercitus est, qvibus comprehendis multum ipsi laborandum fuit. Et testantur Scriptores, qvotq; Ottonis I. vitam posteritati descriptam tradiderunt, auspicia gubernationis suæ plena difficultatis, periculorum plena fuisse, bellis undiq; domesticis excitatis, & penè Europa universa in Caput Ottonis conspirante, ut Peucer. l. 4. loquitur. Primos tumultus in Bavaria Arnolphi filii, Arnolphus & Hermannus, ægrè ferentes, qvod Patris mortui hæreditate, qvam in Bertholdum Patruum contulerat Otto, exciderent, moverunt. Eodem tempore Marchio Brandenburgensis Sigfridus deceperat, cujus Provinciam ab Ottone Gereoni destinatam, frater ejus ex concubina Tanquardus, cui Egerhardus, Franconia Dux adhærebat, repulso Geronne, occupaverat. De Marchiis hic obiter notandum est (nec puto usq; adeò extra oleas nos divagari) eas jam cum sub Carolingorum ævo innotuisse vid. Ann. Fr. ad An. 788. Regin. ad A. 952. notareq; præfecturam limitum, qvam & Romanis in usu fuisse passim ap. Augustæ historiæ Scriptores deprehendimus. Audiamus Alb. Cranzium l. 3. Vand. c. 6. qvæ de Marchionibus habet: *in nostris Annalibus nomen Marchionum non legitur ante primum Henricum Saxonem, Romanorum Regem, qui primus, dominus Danis, ad oppidum Slesvicum, cum eo transtulisset Saxonum coloniam, imposuit regioni Præsidem, quem appellavit Marchionem & illi regendos, tuendosq; regni limites provinciam imposuit, quasi Duci limitaneo.* Inde quoque cum ordinata per illum prudentissime Saxoniæ constituisset, qui agros colere, qui sequi tenerentur militem, &c. Collocavit in eâ primus Marchionem, qui provinciam tueretur armis quæstam, & augescere contendet in diem, & quam Romani simili ex causa, dixeré provinciam, ille appellavit Marchiam. *Marchiam vulgo vocant Saxones districtum unius villicatio-*

nis



nis aut ditionis, inde Feld-Marche nomen duxerunt: ut cum Marchiones dicerent Saxones eam provinciam, quam sui iuris esse, per armata sunt consecuti. Inde praesidi nomen indictum, ut Marchio diceretur, qui illi Ius diceret. Hæc ille. Quo tempore vero hereditariæ factæ sint Marchiæ usque adeò non liquet, nec nostrum nunc est, in id inquirere. Nos ad Ottone progrederimur qui implicitus hisce difficultatibus, ad Bavarias res comprehendendas primum adjecit animum: nec caruit felicibus successibus expeditio, quos & in Brandenburgiçis pacandis motibus habuit comites, interfecto à militibus Tanquardo, Brandenburgicis se dentibus. Seditiones hasce gravior excipiebat tumultus, Eberhardo Tanquardi socio Autore, qui in perduellionis societatem Henricum, Ottonis fratrem, quem antea ceperat, nunc autem falsa & inani regni spe lactatum dimiserat, pellecerat, Giselberto Lotharingo accedente. Enimvero DEO rebellionis justissimo vindice pro Ottone stante victi sunt hostes atque prostrati: quo de præter Scriptores de Ottonis M. vita Peuc. l. 4. Chron. videatur. Quid quod & ipse filius Ottonis Ludolphus in spem regni educatus, secundis Patris nuptiis, clementiaq; quam Berengario, libertate donato, restitutione Italiae regni, exhibuerat, offensus, conspiravit cum affine Cunrado, Duce Sveviæ, cui filiam Otto in matrimonium elocaverat, Episcopoq; Moguntino, & Patrem, jam Cæsarem, ex Italia reversum, debellavit. Sed sine prælio fugatus Ludolphus, conclusus intra Ratisbonæ urbis moenia, fameq; qua longa & arctissima obsidio cinctum & conclusum vexabat, superatus, Patri cum affine sese dedit, veniamq; nudis pedibus ad genua paterna advolutus, & culpam multis lacrimis deprecans impetravit. Vid. Wittekind. libr. 3. Regino libr. 2.

### III.

Nam præter bella, quæcum Bohemis, Danis (b) ac Henetis (c) qui contra fidem Patri datam rebellabant, gerenda erant, quos ut reprimeret, & Saxoniæ limites tutos redderet,

Her-



Hermannum Billingum, virum bellicosum  
atque strenuum, Duce creavit, atque Saxo-  
niæ præfecit: (d) Ungari quoque, (e) qui Patris  
regnum satis afflixerant, (f) immane qvan-  
tum ferociebant, rati continuis bellis, quibus  
Otto defunctus fuerat, fatigatam atque ener-  
vatam esse Germaniam. Enim vero animo-  
se nec minori felicitate ferociam illorum re-  
tudit Otto, eosque cladibus subinde edocuit,  
non deesse frænos, quibus indomita Ungaro-  
rum compesci queat audacia: & jure titu-  
lum Otto reportavit, ut in Annalibus UNGA-  
RORUM DOMITOR audiat. Cum  
enim repeterent animum, atque cladium ac-  
ceptarum oblii, insigni rabie iterum Germa-  
niam adorirentur, Otto, collecto ex Saxonib-  
us, Francis, Svevis, Bavaris, Bohemis exer-  
citu, post multam ancipitemque pugnam, pro-  
pe Augustam Vindelicorum eos ad interne-  
cionem cecidit. (g)

(a) Trucidaverat Boleslaus Dux Wenceslaum fratrem, qui  
ejurata gentilium superstitione, Christiana pietate imbutus erat,  
quem Sanctorum numero adscriptum autoritate Rom. Pontif. Bo-  
hemia religiosè colit ( eius Martyrium describit Æneas Sylvius  
Hist. Bohem. c. 14, 15.) Inde auspicia Ottonis Regni periclitatu-  
rus armamovit. Quo de bello Reginonis continuator l. 2. quem  
Cosmas Pragensis exscripsit. Sigebertus in Chronol. An. 95 o.  
Wittekind. de rebus Saxon. Crantzius l. 3. c. 32. Boreck. Chron.  
Bohem. part. I. Hagecius in Chron. Bohem. part. Confer. Gol-  
dast. l. 2. de regn. Bohem. c. 3.

B

(b) De

(b) De bello Danico Adamus Bremensis c. 50. hæc habet :  
Otto Rex postquam omnia regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo imperio subjugarat, in Danos armâ corripuit, quos ante Pater ejus bello compressit. Enim vero tanq; rebellare moliti apud Heidebam legatos Ottonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum Coloniam funditus extingventes. Ad quam rem ulciscendam Rex cum exercitu invasit Daniam, transgressus terminos Danorum apud Schleswick olim positos, ferro & igne totam vastavit regionem, usq; ad mare novissimum, quod à Danis Nordmannos dirimit, & usq; in præsentem diem à Victoria Regis Ottensund dicitur. Cui regredienti Haraldus apud Schleswick occurrens bellum intulit : in quo utrisq; viriliter certantibus, Saxones victoria potiti, Danos ad naves cedere coegerunt. Tandem conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subjicitur, regnumq; ab eo suscipiens, Christianitatem in Daniam recipere sponspondit. Quæ omnia Adami Bremensi, quæ & Helm. & Stadensis ad A. 918. habent : fideliter exscripti Cranzius & sua fecit. Saxo Grammaticus l. 10. idem illud in Danos bellum describens, iniquior in Germanos est, & fidem suam prostituit multis modis, quæ Cranzium quoque deserit, cum Ottонem concessisse scribat, ut Sleswicensis Marchia, ab Henrico Aucupe instituta, antiquetur. Nam hoc Cranzii commentum omni illius ævi idoneo carere testimonio præclarè ostendit Conring. c. 14. de fin. Imp. quæ ex tabulis & Ottonis I. & III. quæ inter Lindenbrogiana continentur, longè aliud clarissimè evincit.

(c) Heneti, Slavi, Venedi una est atque eadem natio, in pluribus tamen divisa populos. v. Helmoldus Scriptor præclarus & diligens, quo nullus Scriptor in historia Slavica est major l. 1. c. 15. Felicissimus horum victor fuit Otto M. quod vitæ Ottonis M. historiæ abundè testantur v. Adamus Bremensi. l. 2. c. 8. Wittichinus l. 2. (d) Ubbon. Emmio hist. rer. Fris. l. 6. A. 1110 Billichius dicitur, rectius tamen Billingus sive etiam Ballingus, de quo Wittich. l. 2. Adam. Bremensi. l. 2. c. 2. consuli possunt. Quæ stirps defecit postmodum in Magno sine prole mascula defuncto. Abbas Stad. A. 1106. conf. Andr. Sever. Vellejus not. ad Adam. Bremensi. Hist. Eccl. l. 4. c. 4. Tractum autem illum circa Wittebergam nostram, à Sorabis, quæ teste Helmoldo Chron. Slav. l. 1. c. 88. incoluerant, purgatum Otto retinuit Cranz. l. 4. Saxon. c. 16. Peuc. l. 4. Chron. (e) Un-

(e) Ungaricæ gentis ante seculum IX. & ultima qvidem Arnulphi tempora nulla fit mentio apud Historicos. Sunt autem Hungari Hunnorum in Pannonia successores, qui ex sedibus suis, quas in Scythia habuerunt ultima, teste Reginone ad A. 889. egressi Pannoniam occuparunt. Nobis quo minus prolixiores hic sumus, minimè concessum est, ablego qui desiderio originum hujus gentis cognoscendarum tenetur ad Conring. c. 17. de fin. Imp. Contra quam sentit infelix ille Mausolei Potentissimorum Regum regni Apost. Scriptor in Arpad. VII. Ungarorum duce.

(f) Damna, quæ Germanis barbaries illa, eo ævo nondum mitigata & emollita, intulit, legantur apud Wittek. l. 1. Sigeberturn ad A. 904. 910. 913. 915. 917. Peuc. l. 4. Chron. In Henrico Aucupe & Ottone I. & præter Ungaricos Scriptores apud Luitpr. l. 2. c. 1. seqq. & Aventinum aliosqve.

(g) Tanta strages Ungarorum fuit edita, quanta hactenus nunquam fuerat audita, Wittekind. l. 3. Chron. Reicher. sp. ad A. 955. quod refert tres Ungarorum Duces ad dedecus gentis laqueo suspensos fuisse, vid. & Sigebertus ad A. 955. Aventinus l. 5. cuius hæc sunt: *Otto adserta Germania, populo Christiano libato, easq; cæde perpetua ab exercitu Imperator & Pater Patriæ salutatus est, quæ ex Wittekindo l. 2. habet. Porro Ungari, qui domi reliqui erant, tanta suorum ruina, animo fracti, vallo, fossa, contra nos sese in locis palustribus muniunt, nedum fines alienos invadere (sicuti per annos quinq; & quinquaginta hactenus continenter factitarant) animo postbac conciperent, contusi viribus, territiq; potentia Ottonis, ne mutitare qvidem de cætero ausi fuere. Nec audet negare Bonfinius l. 10. dec. 1. cuius verba citat Conring. de fin. c. 17. injuriasq; diluit, quas in Germanum nomen Italus ille Ungaricæ Historiæ scriptor non tam Ungarorum studiosus quam Teutonum inimicus conjicit. Dissimulat tamen antea citatus Mausolei Scriptor cladem in Urbo XIII. Duce Ungar. elevatq; quo longè candidior est Nadaynus in Floro Ungarico l. 1. c. 19. ap. amicissimum mihi Autorem dissertationis de gentis Hungaricæ primis incunabulis nuper editæ circa calcem. Egregium Caspar Ens subnectit Epiphonema: *perierant, inquieti, nisi periissent. Clades enim, quibus furor ipsorum retusus est, ipsis ansa fuit abjiciendi paganam impietatem, recipiendiq; cum Sancto Christi dogmate saniorem mentem morumq; cultum.**

Omnium autem maximè Germani no-  
minis decus Otto extulit , qvod & Italiæ re-  
gnum & Imperatorium axioma , qvod à Ca-  
roli Crassi excessu Italici rapuerant , post Ar-  
nolphum , (a) repetiit , Teutonibusq; asseruit.  
Invitatus enim Otto ab Italîs & Adelheida (b)  
pro eâ , qvam sibi uxorem , primâ defunctâ de-  
stinaverat , liberandâ , primam suscepit expe-  
ditionem . Vicit Berengarium (c) victumq; ca-  
ptiyum misit in Germaniam , Filio Ludolpho  
& Cunrado genero permissâ administratio-  
ne , usqve dum libertatem & regnum capti-  
vo , tanq; beneficium suum restitueret ,  
non sine filii atq; generi offensâ .

(a) Cum Carolingorum disfidiis perpetuis , vires attritæ es-  
sent , eorum autoritas in Italia magnoperè eviluit , imprimis Ca-  
roli Crassi tempore , ubi Berengarius & alii quidam Longobar-  
diae proceres , multis ornati beneficiis à Carolo Calvo , conjuratio-  
nem inirent adversus Carolingos , qva de vid. Luitprandus Eccle-  
siæ Ticinensis Diaconus , scriptor illorum temporum à fide & pru-  
dentia commendatissimus , qvem Berengarius & ipse Otto mul-  
tis negotiis adhibuit , qviq; saepius legationes obiit l.i. c.6. Regino  
Abbas Prumiensis hujus ætatis quoq; Autor , qui in anno 907.  
desit , Conringio c.3. de fin. Imp. doctissimus & nobilissimus Ger-  
maniæ Chronographus dictus l.2. Blondus Dec. 2. l.2. Berenga-  
rius tandem victor Italæ regnum obtinuit Frising. l.6. c.15. Peuc.  
l.4. Chron. Sagonius l.6. de Ital. regn. vid. & Conring. c.9. de  
fin. Imp.

(b) Filia erat Rudolphi Burgundiæ Regis , qvam Berengar.  
Ticini captivam tenuit.

(c) Be-

(c) Berengarius hic Alberti Marchionis Eporegiæ filius fuit,  
Berengarii I. ex Gisela filia nepos, qvi a vo materno extinto, cum  
Rudolpho Rege Burgundorum primum, post cum Hugone Are-  
latensi Comite, Germanicis auxiliis decertavit. Hugo autem me-  
tuens Berengarii potentiam, transegit, ut Berengarius cum filio  
æquo jure regnarent, ipse totâ Italâ excederet. Enim verò Lotha-  
rius mox decebens soli Berengario regnum reliquit, qvi & vi-  
duam Lotharii Adelheidam captivavit, & sumto Pontif. Rom. as-  
sensu Imperatoris titulo, multa tyrannicè fecit. Ejus tyrannidem  
Wittekind. l.3. describit, eo tempore, inqviens, usurpato Imperio re-  
gnavit in Longobardia homo fortis & avarus, & qvi omnem justi-  
tiā pecuniâ venderet Berengarius. Veritus autem singularis pru-  
dentiæ reginæ virtutem, à Ludovico Rege Italiae relictæ, in multis eam  
affixit, quo tanti decus splendoris extingveret, vel certè obscuraret.  
vid. Contin. Reginon. ad A. 64. ubi & belli & victoriae Ottonis,  
qvam de Berengario reportavit, fit mentio. Luitpr. l.6.c.4. Ditmar.  
Merseb. l.2. Inter has turbas Episcopi Rom. magis magisq; inva-  
luit autoritas, & Romani inter varios Magistratus fluctuare, &  
non semel ad antiquam suam Remp. & libertatem respicere, eje-  
ctisq; Regibus & Imperatoribus, Consules Majorum more sibi  
creare ausi sunt. Oldenburg. Thes. rerp. Part.4. p. 108.

(d) Id qvod discimus ex illorum temporum historicis, qvi  
ad unum omnes testantur subjectionem Berengarii, qva Ottoni  
supplex factus Italiam obtinuit. Reginonis enim appendix ad A.  
952. hæc habet: *Eodem anno mediante Augusto mense, conventus*  
*Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum, Longobardorum*  
*publicus apud Augustanam urbem Rhetie provincie agitur. Ubi Be-*  
*rengarius cum filio suo Adelberto, Regi se per omnia in vasallum de-*  
*dit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono Regis accepit*  
*regendam. Marca tantum Beronensis & Aquileiensis excipitur, qvæ*  
*Henrico fratri Regis committitur. Et ib. Berengarius filio suo Adel-*  
*berto se subjiciens Ottoni ab eo ut subditus recipit regendam Italiam.*  
Non dissentit ab hac narratione Wittekindus l.3. ita enim loqui-  
tur: *Interea Berengarius Regem Ottонem adoravit, in gratiamq;*  
*Regis & Reginæ susceptus, deditiois sponsionem dat, fæderis, sponta-*  
*nei diem ap. Urbem Augustam designans. Ubi cum conventus fieret,*  
*Berengarius manus filii sui Adelberti manibus, implicans (licet olim,*

Hugonem Regem fugiens, Regi Ottoni subderetur) tunc tamen reno-  
vata fide coram omni exercitu famulatui Regis se cum filio subjuga-  
vit. Et ita dimissus in Italiā remeavit, cum gratia & pace. Audia-  
mus & Luitprandum in Historia legationis suæ Constantinopo-  
litanæ, qvam ipsius Ottonis jussu susceperebat, Nicephoro Cæsari  
in Oriente ita narrantem: palam est, qvod Berengarius & Adelber-  
tus sui milites (milites autem ceu notum est iis, qvi Juris feudalis, ut  
vocant, cognitionem habent, Vasalli sunt) effecti regnum Italiæ sceptro  
aureo ex ejus manu suscepereant, & præsentibus servis Tuis, qvi nunc  
usq; supersunt, jure jurando fidem promiserunt. Nec dissentit ab his  
Otto Frisingens. l. 6. Chron. c. 19. Otto post multos triumphos Ita-  
liam qvog; qvæ per plures jam annos Francis s. Germanis aliena-  
ta fuerat, regno adjicere parat. Hæc eo tempore à Berengario Tyranno  
multipliciter premebatur &c. Ibi (Augustæ) ex omnibus regni visce-  
ribus multis in unum adunatis, Berengarius humiliter veniens sese de-  
dit, ab eoq; Regnum Italiæ, excepta Marchia Veronensem & Aqvile-  
gensium suscepit. Qvæ omnia & apud Baronium T. 10. Annal. ad  
A.C. 852. reperies.

v.

Sed rediit ad ingenium Berengarius, &  
multa crudeliter in Italiā egit, præsertim à Lu-  
dolphi morte, multis ejectis in exilium, urgenti-  
bus itaq; Italīs, (a) ipsoq; Johanne XII. (b) cum  
exercitu profectus in Italiā, cum prius Otto-  
nem filium successorem declarasset, fugato Be-  
rengario, Romam contendit, ubi à Johanne  
Pontif. & S. P. Q. R. Cæsar salutatus atque co-  
ronatus Romanos in fidem atq; obsequium  
accepit. Enim verò cum mutatâ voluntate,  
Ottone, ad conficiendum cum Berengario  
bellum, absente Pontifex Alberto, Berengarii  
filio, urbem traderet, Cæsar rediit, occupa-  
tamq;

tamq; urbem, ut nullum sine consensu Imperato-  
ris se electuros Pontificem, juramenti religione  
promitterent, adegit. Johannem autem XII, cele-  
brata Synodo, (e) reum perfidiæ aliorumq; crimi-  
num, loco removit, Leone IIIX. substituto, qv iIm-  
peratori jus & potestatem eligendi & consecran-  
di Pontif. Rom. ordinandiq; ea, qvæ ad sedem A-  
postolicam pertinent, item Episcopos constitu-  
tuendi atq; confirmandi contulit. (d)

(a) v. Luitprandus I.6.c.6. ubi hanc Ottonis invitationem narrat. Al-  
locationem Procerum Italicorum ad Adelb. Berengarii filium Baronius  
habet: *vellemus, Domine, hæc ipsorum verba sunt: ut Papiam cum paucis*  
*pergas, & tuo genitori dias, qvat. Longobardorum regnum sub nostra ditione*  
*committas, qvia nos minimè sub illius potestate amplius durabimus. Si vobis*  
*committit regnum, nos totis viribus pugnabimus: sin a. Italiæ regnum extero*  
*committemus. Cum a. id à Patre obtinere neqviret Adelbertus, utrumq; ab*  
*Italiis desertum esse patet ex seqq. qvæ habet Aut.; itaq; sine impedimento in*  
*Italiam introivit atq; Italiæ regnum obtinuit. Hæc Cardinalis profiterur ex*  
*vetusta Beneventanorum ducum historia se referre. Huc pertinent, qvæ*  
*anteà laudatus Luitprandus in hist. legationis Constantinop. habet, ubi*  
*Berengarium & Adelbertum qvod perfidè violassent, justè qvæsi defe-  
ctores & rebelles regno privatos esse.*

(b) Qvomodo is ad Pontificatum pervenerit, recenset Luitpr. I.2.c.13.  
*Hoc tempore Romanæ sedis Jobannes Ravennas summum Pontificatum te-  
nebat. Hic autē nefando scelere contra ius fasq; Pontificium culmen obtinuit.*  
*Theodora scortū impudens hujus Alberici qui nuper hominē exuit, avia. (qvod*  
*dicit etiam nefandissimum) Romanæ Civitatis non inviriliter Monarchiam*  
*obtinebat; qvæ diras habuit natas, Maroziam atq; Theodomum, sibi non solum*  
*æqvales verū etiam Veneris exercitio promtores. Harum una Marozia ex*  
*Papa Sergio Johannem, qui post Job. Ravennat. obitum S. Rom. Ecclesia ob-  
tinuit dignitatem, nefario genuit adulterio: ex Alberto autem Marchione*  
*Albericum, qui nostro tempore Roman. urbis principatum usurpavit. Qvæ*  
*Luitprandi verba & Baronius habet, qvibus ira atq; indignatione per-  
citus*



*RATIN 1640*

citus hæc subjungit: *Audisti temporis hujus deploratisimum statum, cum Theodori senior nobile scortum Monarchiam (ut ita dicam) obtinebat in urbe? Sed unde infami mulieri tanta dignitas? Erat ista nobilis Romana fæmina, senatoria orta propagine, excellens pulchritudine, ingenio versutissima, consuetudine Alberti Tusciae Marchionis potentissimi redditæ procacissima, ex quo tamen, quæ audisti, genuit filias sicq; ex adulteri potentia etiam sibi peperit Monarchiam. Nam cum (ut suo loco inferius dicitur) munitio S. Angeli inexpugnabilis redditæ ex mole olim Hadriani Augustanorum sepulchro possideretur ab eod. Tusciae Marchione, qui eâ potiretur, urbi quoq; pariter dominari facile posset: hæc pessima fæmina eâ arte dominium urbis est consecuta, possidens arcem, illud in posteros propagare curavit, filias prostituens Pontificibus, sedis Apostolicæ invasoribus, & Tusciae Marchionibus; ex quibus tantarum invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitimè creatos dimoverent Pontifices, & violentos ac nefarios homines iis pulsis intruderent.* Hactenus Baron. cum quo conf. Eroardus ad A. 945.

(c) *De Synodo Romana* qvam Cæsarea autoritate haud secus ac Carolus M. & alii antecessores Imperatores convocavit, v. Luitprand. I. 6. c. 6. & seqq. Roswitha in Paneg. atque Dithmar. I. 2. citante Henrico Meibomio in Sleid. I. 3. de 4. summ. Imp. De abdicatione Johannis præter appendicem Reginon. I. 2. & Sigebertum leg. & Otto Frising. I. 6. c. 23.

(d) Id qvod insertum Juri Pontif. est decretum Dist. 63. in Synod. congregata 23. vetba ejus ita sonant: *Ad exemplum B. Hadriani, Apostolicæ sedis Antistitis, qui Dn. Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum, Patritiatus dignitatem ac ordinationem Apostolicæ sedis & investituram Episcoporum concessit &c.* Flocci hîc pendimus, quæ contra Capitulum hoc objicit scabie Hildenbrandina totus infestus Baronius, ceu de Cardinali loquitur Summus & à nobis aliquoties citatus Vir Conring. c. 9. de Imp. Germ. Rom., qvod omnipotentiam illam papalem, cui se totum mancipavit, qvod immensi laboris & sudoris scopus, hæc finis vastissimi Annal. Operis. Omnes ejus arietes, qui tamen nullam feriendi aut concutiendi vim habent, solidissimè hebetavit l. d. Conring. cujus transcribere verba non opus est, cum brevitas nobis sectanda impereatur.

SOLI DEO GLORIA.

